



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Roberti Tvrneri Viri Doctissimi Professoris In Academia
Ingolstadiensi Orationvm. Volvmen ...**

Turner, Robert

Coloniae Agrippinae, 1625

9. Ad Sigismundum Regem Polon. de foedere contra Turcas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69519](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69519)

ORAT. IX. DE FOED. PACISC. CONT. TVRC. 61

laude præ cæteris suæ ætatis oratoribus florentem partim blanditijs pellexit, partim grandi pecunia comparauit, vt libris duobus eleganti dictionis filo contextis, suauissimaque orationis elegancia aspersis, vno castitatem oppugnaret, altero numinis opinionem ex animis hominum euelleret: nunquid diabolum humana forma indutum perhorrescitis? sed vereor, ne dum otij fœdissimas labes oratione confector, & otio & patientia vestra turpiter abuti videar: nam si ignauia à naturæ tramite longissimè recesserit, si religionem infregerit, si diuinum numen è medio sustulerit, si rerump. fundamentum labefactarit, si sanctissimas leges comminuerit, si suauissimam amicitiam diffuerit, si disciplinam omnes obtriuerit, vt certissimis rationum momentis ratum fecimus neminem arbitror ita ab omni virtutis honestatisque simulatione abhorrentem, qui non ignauiam humani generis pestem esse arbitretur & hanc labem fœdissimam à sua existimatione quam longissime non repellet. *Dixi.*

ROBERTI TVRNERI

ORATIO IX. A BENEDICTO MANDINA Episcopo Casertano, congregationis Clericorum Regularium, Nuncio Apostolico ad Sigismundum Regem, Senatūque Polonum de fœdere cum Christianis contra Turcam paciscendo, in Comitijs Var-sauia die XXX. Martij An. 1596.

recitata.

Quam vehementer (Sacra Regia Maiestas, illustrissimi Proceres, Senatus amplissime, cæteri; Inclyti, potentissimi Regni huius nobilissimi Ordi-

Ordines) Sanctissimus Dominus noster in Regem
 Senatum, populumque Polonum animatus est, ego
 extremis hodie lineis, si possem inumbrare, putarem
 certè me satis momenti allaturum vel ad suadendum
 fœdus, cum Christianis, vel ad persuadendum bellum
 contra Turcas, si nudè tantum vnoq; verbo dicerem
 me ex extrema vsque Italia à Clemente octauo Pontifice
 opt. Max. missum ad vos huius rei causa, & ablegatum.
 Nam beneuolentiæ, pietatisque qua Summus Pontifex
 summa Poloniam prosequitur & semper prosecutus est,
 lineas primas qui videt; consideratque cum animo suo
 hunc affectum exire ex illa prouidentia, qua Deus tanquam
 anima Ecclesiæ suæ corpus vegetat, & perpetuè informat;
 recto is rationis filo ducetur eò, vt statuatur & quasi certum è
 cœlo defigatur hanc nec pietatem velle, nec prouidentiam
 posse quomodo fallere, & in fraudem pellicere: verum
 cum lachrymæ, quæ Clementi octauo pro Polonorum
 salute sæpe fluunt, & cogitationes quæ pro Polonia
 ipsa perpetuæ, & ne noctibus quidem intercessant
 excubant, tantam spirent in hoc regnum pietatem,
 quanta nullo verbi colore tenuiter quidem effingi poterit
 video mihi à re ipsa impostum iri necessitatem
 dicendi hodie apud vos si pro Christianorum fœdere
 aliquantò operosius, certè contra Turcicam perfidiam
 multò liberius. Et si ego ab omnibus naturæ artibusque
 subsidijs imparatus, incognus omninò sim, qui Apostolici
 ad vos aut Legati nomine censear, tamen cum dicturus
 sim nomine Pontificis, qui vos tenerius amat quàm pater
 filios, & dicturus sim Christum, cum fortunis vestris
 & libertatibus penitus implicatum, spero me à vestra
 omnium æquitate impetraturum, vt ad orationem meam
 faciles hodie aures, fitientesque afferatis. Quare
 nec veteri Rhetorum more rogabo vt attendatis,
 Pontifex enim à quo missus, & Christus cuius causa
 missus sum, hoc à vobis quodam

ORAT. IX. DE FOED. PACISC. CONT. TVRC. 63

quodam iure exigunt: nec deprecabor, quod orationem affero nullo, aut flore sparsam, aut artis gemma intermixtam, profiteor enim me dicturum hodie Christum, vt nudum, sic sine exquisitæ artis aucupio nudè.

Cum omnibus (Serenissime Rex) qui Christum profitentur, & viuunt, pax præcipuè curæ esse debeat, tum Pontifici maximè, qui Christiani orbis cor & caput, quam Christus præiuit illi viam orbis regendi, recteque conformandi, eam insistere debet, & solet. Christo autem pacem in primis cordi fuisse, loquitur primò eius vita, quæ tota erat, præsepe, stabulum, colaphus, sputum, crux, vt vno verbo dicam, tolerantia, & pax: cum contra, qui aliorum Imperiorum rationes fundarunt, & constituerunt, principium semper duxerint, Romulus à cæde, Virginius à seditione, Philippus à fraude, Cæsar à bello, ab alijs furoribus alij. Hæc res si non esset tam perspicuè vera; quàm Christum esse in pace natum, in tumultu mortuum, ex eo tamen vno liquido vinceretur; quod Euangelij vox audita est in terris prima: *Pax hominibus bonæ voluntatis;* & vltima audietur tuba cum Dominus ad iudicandum venerit: quasi esset vt Iudicis, ab huius mundi tribunali egredi more leonis, & pugnantis, sic Seruatoris in hoc mundi theatrum ingredi specie ouis & patientis. Hanc pacis doctrinam ex Christo delibatem & haustam; cum Pontifex & ipse fateatur, & alios doceat: mirabuntur fortasse aliqui, vel non satis illi sani, vel in re Ecclesiastica hospites valdè & peregrini: quid causæ possit esse Pontifici, qui se profitetur pacis doctorem, conuerso quasi Euangelij orbe, Polonis facem ad bellum præferat & tumultum. Et iustè quidem hi mirarentur, si quæ dicitur pax Turcica bellum non esset, omnium quæ post natos homines gèsta sunt odio immanissimum, re maximum euentu periculosissimum; Odium quid

*Vita Chræ.
si pax.*

exag.

*Vngaria
fœlix, sed
Christia-
norum
clamno,
& cur.*

exaggero? Turcicum est, & contra Christum ipsum
Rem quid narro? Tyrannis est, quantam infernus po-
terit excogitare maxima: Euentum quid exprimo
Vngariam videtis fœlicem forsan, sed maximo cen-
Christianorum malo fœlicem: quasi aurum profertur
Turcis proferat ad gazam: si æs, Turcis ad arma-
fœminas, Turcis ad libidinem: si viros, Turcis ad fer-
uitutem: & (quod seruitute peius est) omnia Mahome-
ti ad obsequia. O miseram Vngariam, & hoc solum
in nomine miseram, quod paci Turcicæ credidisti
Quare è specula Pontifex cum videret pacis nomine
in speciem quidem pulchro, sed ad exitium insidiosi
quasi vestigio quodam irrepere in alias Christiano-
rum partes, & quas non potest armis sub iugum mit-
tere, eas arte, aliam supra aliam occupare: statuit se
patrem & pastorem omnium debere inter hanc vni-
peculam, (quæ Christi vineam demolitur) & Christia-
norum (grande crimen molli notabo nomine) sim-
plicitatem, suam iam tandem prouidentiam interpo-
nere. Hortatur ergo vos, Equites Poloni, Summus
pastor ouium Christi non ad tumultus mentis, quasi
Euripi immanes & insanos fluctus: sed ad pacem il-
lam veram & firmam, quæ duabus tantum rationibus
comparatur, ieiendo fœdere cum Christianis, & ac-
nace acuendo contra Turcas. Quod si fortè adsit qui
neget vllum bellum suscipiendum ijs, qui Christiano
nomine censentur, nã, is toto errat cœlo: cum æter-
nus ille rerum conditor à malitia cognomen Dei Sa-
baoth, id est, exercituum hauserit, & in medio cœlo
viderit ac probarit bellum illud mentium beatarum
cum Spiritibus apostaticis, qui quod monumentum &
solum superbiæ suæ non potuerunt erigere in cœ-
lo contra Patrem; id iam per Turcas conantur in ter-
ris excitare contra Christum. Tenet quidem vos pax
Turca, sed pax, quæ est bellum; Inuitat vos Pontifex
ad bellum: sed bellum quod erit pax, & pax quæ non
Turcicæ

*Esse belli-
gerandū
contra
Turcam
& cur.*

ORAT. IX. DE FOED. PACISC. CON. TVRC. 69

Turcicæ perfidiæ leuitate, tanquam pluma, sed firmissimis vestri acinacis, & lacerti radicibus perpetuò nitetur. Non sum tam exquisitè frigideque Christianus; vt foedus non feram cum Turca, quod necessitate extrema impositum non potuit aut arte eludi, aut commodè declinari; nec quidem tam lentè, frigideque Christianus sum, vt foedus cum omni infideli tanquam iocum ac ludum probem & admittam: Nam cum foedus ipsum profiteatur quandam communionem amoris & voluntatis in eos cum quibus colitur societas, & odij, vel certè non amoris in eos qui hoc foedere non comprehenduntur, velintque omnes, qui Mahumetana fraude deuincti & obstricti sunt, Christum, Christianumque nomen penitus & à stirpe interire; cum hac peste lueque hominum qui in societatem foederis veniunt, eiusdem voluntate societate videntur teneti, quo crimine nullum potest à nobis concipi vel admitti, vel labe tetrius, vel in cœlum contumeliosius. Id quod Dauid Rex oculo non sensus obscuro, sed puro illo claroque Prophetiæ, quia vidit, profiteretur ille apertas & perpetuas cum hoste Dei inimicitias, istudque cecinit posteris, non tam ad auris titillationem, quam ad mentis nostræ institutionem, illis verbis: Nonnè qui te oderunt Domine oderam? & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi. Odium hoc Dauidis in hostes Dei tam vehemens erat, si affectum; tam penitus insitum, si modum spectes, vt putàrit sanctus zeli Cœlique plenus, se complicatam mentis suæ notionem non satis distinctè expressisse, nisi illud suum odium non solum interrogationis amentatà quasi hasta, sed alio modo variè explicaret. Oderam, inquit illos tantumne? odio oderam; quo? vehementi illo & perfecto, ita vt odio hoc tanquam zelo implicatus totus intabuerim. Nos qui tantum latinis litteris tincti sumus, quid sibi velit hic dicendi modus, non

*Dauidis
in Dei
hostes
odium.*

fetis capimus; at in sancta lingua, hæc interrogandi forma & eiusdem rei inculcatio, tantam vim habet, ut Varinianum illud odium, quod Ciceronis ætas nobilitavit, & Turcicum, quod nostra, præ hoc Davidis hostes sic expresso, molle videatur aut prorsus nullum. Si David, qui scintillam tantum Dei ex legis nube obscure emicantem viderat, inimicitias capitales cum inimicis Dei aperte profiteri verbo exemploque docuerit; Nos certe quibus Christus aperuit quicquid habuit lex ænigmatis, aut Euangelium gratiæ, & veritatis; si amicitiam vel fœdus cum filiis Belial copularimus, admitemus profecto crimen cui vindicandi vix tres Inferni videbuntur fore satis. Tertullianorum qui de re Ecclesiastica latine scripserunt primus, & (si affectus eum ad priuari cerebri scopulum transversum non abripuisset) certe doctissimus monet Christianos omnes se profiteri in Baptismo pugiles, & palæstritas aduersus hostes, qui Christum eiusque membra vel aperte petunt, vel insidiarum cuniculis occultè tentant, ac ne putetis hoc verbum fictici esse, aut nihili, causa hæc est, cur ut pugiles ante bellam, sic Christiani ad perpetuam cum Christi hostium pugnam, oleo in Baptismate, veteri constantique Cæremonia, vnguntur semper & illiniuntur. Christe, in quas tandem angustias conditus es? professio tui nominis laudatur & obteritur, & sacri illi mores qui instituti erant ad disciplinam, exierunt in Cæremoniam tanquam bullam, aut si quid bulla possit fingi vanidius aut cōtemptius. Nam in hac re si quid habeat antiquitas fundamenti, aut mos iste momenti, nihil est à professione Christianorum tam alienum, quam non dico inimicitias non suscipere, sed fœdus icere cum hoste illo qui profitetur se cogitare, facere, vivere & regnare hoc solum nomine, ut quicquid est Christiani nominis, ex orbe stirpitus euellat. Frustrà forte videat cuiquam ex natura rei, ex antiquitate, ex profes-

*Fœdus
cum Tur-
cis quan-
tum cri-
men.*

ORAT. IX. DE FOED. PACISC. CON. TVRC. 67

professione collegisse, cum Deus in ipsis iactis mundi
 Ecclesiæque fundamentis illam legem disertè fixerit
 rectæ, puræque Adami posteritate, vt inimicitias
 perpetuas habeat cum sæce infernali, quæ callidi ser-
 pentis sibilum libenter audit, & venenum tanquam
 mel auidissimè semper haurit. Ponam, inquit Deus
 serpenti, inimicitias inter te & mulierem, inter semen
 tuum & semen illius: mulierem, siue ad normam
 literæ Euam, aut ipsam quoque Deiparam, si-
 ue ad Spiritus rationem cum Ambrosio intelliga-
 mus Ecclesiam, inter mulieris semen & semen
 Sathanæ odium est, vt intestinum, ita Dei præscrip-
 tione tam altè insculptum, vt qui contra hanc legem
 commiserunt, quemadmodum ex quo semine fluxe-
 runt, factis mundo ostenderint, sic pœnam factis dig-
 nam è cœlo exquisitissimam semper subierint. Inter-
 dixit Deus Israelitis non amicitia tantum, sed com-
 mercio gentium & Philistæorum. Bonus certe
 Deus, qui prius monet, quàm perdit; sed quàm est bo-
 nus quum monet, tam seuerus dum perdit. Primum
 minatur Israelitis ne iungant foedus cum gentibus,
 iungunt tamen: qua pœna? quod minatus est Deus,
 facti sunt illis Philistæi fouea, in quam cadunt, la-
 queus quo implicari tenentur; festuca & offensio, qua
 oculi illis corrumpuntur: quid tandem? tandem Israe-
 litæ terræ, quam Deus illis impertiuit optimam, vsura
 priuantur, & quæ fuerunt contra Deum superba,
 sunt demùm vilia capita. Placuit, inquit Deus, vo-
 bis habere inimicos meos pro amicis; ego faciam vt
 sitis illis serui & mancipia. Si istud indè ex Israelitica
 gente nimis altè repetitum quisquam fortè censeat,
 non id factum quod desint domestica & recentia exem-
 pla, sed quod Tragicam Christianorum vel culpam
 hoc in genere vel pœnam, sine ingenti & mentis do-
 lore & vocis questu, in hunc vestrum confessum
 tanquam in theatrum non potuerim inducere. In-

*Inimici-
 tias inter
 Ecclesiam
 & Diabo-
 lum Deus
 posuit.*

*Deus
 prius mo-
 net quàm
 perdat.*

ducentur tamen & quia videmini hoc velle, & quae mala quae propiora sunt, propius quidem virgeant, moueant vehementius. Trapezuntini Principes, quos Paulum noluerunt audire monentem: Nolite iugum ducere cum infidelibus, meruerunt infidelium sub iugum. Paleologis, tanta erat potentia, ut eorum fama terminum, nec gaza inueniret modum: qui pacti sunt amicitiam cum Turca, ac contra Deum eam putarint posse esse (verbis sacris utar libenter participationem iustitiae cum iniquitate, societatem lucis cum tenebris ac conventionem Christi cum Belial, ab Europae Principibus, quos antea contempserant in vanum opem acclamantes, ita abierunt in peruerem, ut oriens illorum Imperium cesserit praeter Turcis, & ipsis post se hoc tantum reliquerint fama aut potius infamiae; quod Constantinopolis, quae nihil habet Orbis post Romanam maius, quae fuit Paleologorum, horum scelere Christo perijt & Caris Vngaros non dico (hos ipsi superiori anno audistis Cracouiae suam miseriam serio deplorantes, vestram opem frustra implorantes) ipsi, ipsi illis vestris auribus audistis eos exclamantes; heu, heu, miseris nos quod credidimus Turcae, & falso foederis nomine nostros passus sumus perpetua seruitute irretiri. Sed Phryges, id est, sero sapuerunt. Dicit fors quispiam eos hac seruitute dependisse Deo poenam Schismatis quod contra Petri Sedem nefarie fecerunt & ego certe non valde abnuerim; tamen sic intelligi velim quasi seruitus qua isti induti sunt, tanquam catenula ex quatuor istis annulis, delicijs, peccato, schismate, & foedere Turcico, sic contexta fuerit, ut viam munierint deliciae ad peccatum, peccatum ad Schisma, Schisma ad foedus Turcicum, foedus tandem Turcicum ad seruitutem, quantum nullae hactenus literae Graecae illae, aut Latinae expresserint, grauiorem. Rem etsi putem certissimam tamen facile patiat,

*Paleologi
potentissimi
quod
cum Tur-
cis pacti,
in pulue-
rem abiē-
re.*

*Item Vn-
gari, &
cur.*

Gradatio.

patiar, vt non credatis nisi pœnam quantam sol viderit grauiſſimam ex media noſtra ætate attulero, Turcico tantum fœdere irrogatam. Franciſcus Galliarum Rex: quantum nomen erat? impleuerat terram ſua gloria, & certè ſuæ religionis ardore cœlum: ſic potens vt cum potentiſſimo orbis, certaret de orbe, & vna veraque cura ſic complexus vniuerſos ſuos, vt Nobilitas an Plebs; Miles an Mercator, Ad hanc gloriam, quod nomen ſuum ierat in Ne- potem tam pulchrum, tam numeroſum, vt gens Va- leſia iſdem quibus mundus terminis exiſtimaretur circumſcribenda. Tantæ gloriæ, tantæ potentia, tan- tæ religionis Rex videretur perueniſſe in partem il- lius fœlicitatis, qua beatæ illæ mentes puriſſima cir- cumfluunt & perpetua niſi moriens exclamaſſet, Pe- rij heu perij, quod volui eſſe fœderatus ei qui eſt hoſtis Chriſti. Cardinali Guiſio ſubijcieni miſe- ricordiam, pœnitentiam, conſolationem ex ſacris litteris, bene multum: omnis inquit, miſericordia mihi clauſa eſt, & nulla pœnitentia mihi ſatis eſt, qui vt æmuli mei vel gloriam inſuſcarem, vel vindi- carem iniuriam, fœdus pepigi cum Turca, & Chri- ſtianorum capita tanquam armenta ad Mahumeta- nam ſeruitutem viuus vidensque paſſus ſum abigi. Ea ſum charitate in mortuos, vt facile credam has voces eſſe extremè potius dolentis, quàm deſpe- rantis; id tamen negari non poteſt, Franciſcum po- na viuum, mortuumque mulctatum eſſe quanta in terris cogitari poteſt maxima. Nam extra bellum, quod ipſe cum ſua conſcientia geſſit perpetuum; ex- tra bellum quod ipſius Galliam maximum ſemper poſteà exercuit, & in cinerem penè comminuit; Henricus filius interiit à manu hoſtis, qui ſe finxit amicum, & in publico ſpectaculo, factus eſt orbi ſpectaculum, & vobis (Equites Poloni) exemplum.

*Franciſcâ
Gall. Reg.
quod Tur.
& fœderatus
horren-
dum ex-
emplum.*

*Franciſ-
cus pœnâ
vivi
mulctâ-
tus &
mortuus.*

Leue istud posset videri quo viuat adhuc ille in pluri-
mo nepote. Verum nepotulos, qui tamquam semper
in consequentem omnem ætatem ferendi videban-
tur & propagandi, dolor, bellum, venenum, cultellus
ita breui absumpsit omnes, & vna eademque ætas Vi-
lasiã gentem viderit & summam, & propter su-
dus Turcicum nullam. Iagellonia virtus & religio
etsi in te, Sigismunde Rex, iam viuat; & in posteri-
tuis (quantum speramus, & à Deo precamur) perpetuo
fœlicissimamq; videantur habituræ vitam. Iagellonia
tamen nomen cur perijt orbi? cur Polonia? Nolo
quites fortissimi, alias vestras prosapias penitus dele-
tas recensere, nec earum quæ florent memoriæ
quaturæ, minari aut ominari; id tamen pro meo
vos amore, non possum non monere vniuersos, &
quorum perhorrescitis exitium, horum nullo mo-
do imitemini exemplum. Video, Serenissime Rex,
non tantum oratione contendisse, sed vicisse rationem
Turcicum fœdus cum natura, cum professione Chri-
stiana. Cum Euangelio penitus pugnare, arma pro
Christianis contra communem hostem sumenda vobis
esse, nisi æquè clarum effecero, facile patiar, ut potius
quicquam cogitetis aut faciatis, quàm quod ego
arbitror, & Christiano orbi tam utile, & Reipublicæ
(amplissimi ordines) vestræ penè necessarium. Au-
tulerunt ex hoc loco diuersi diuersa: quibus mentes
vestras otio languentes, & quasi somno sopitas exulce-
rare vellent videri: verum nihil horum à me attinge-
tur hodie, vt qui cognoscam eam magnanimitatem
Polonis à natura inditam esse, vt in rebus magnis
non possint languere, illudque esse semperque fuisse
studium publicæ rei, vt eorum animis deberet potius
sedandis adfundi aqua; quàm incendendis facula, aut
leuis aliqua materies subdi ac subministrari. Quare in
huius partis primam quasi aciem non inferam vos
pugnaturus contra utilitatem Turcicam & Asiaticam.

*Insinua-
tio.*

nam, natam seruire, nec subijciam, hanc vtilitatem nihil in rebus timere magis, quàm vestrorum vel acinacum fulgores, vel lacertorum roboras; neque dicam Prætoriani militis (quo imprimis Turca nititur) florem vanuisse vel viluisse, denique reliquam vim ita concisam esse, vt quos contempserit hætenus Tartaros tanquam pecudes, eorum gratiam legationibus iam ambiat, & donatiuis; neq; exaggerabo Turcarum illud iudicium, Othomanicam Tyrannidem, Quarti decimi Monarchæ Imperio definiturum, neque alias prædictiones, tanquam Tragœdiæ cuiusdam interludia inspergam orationi meæ; nam vestra doctrina, vestra experientia, vestra iudicia non sinunt, vt aliquid aut colligam minutum, aut leue corradam & alienum. Id tantum dixerò, & vobis insigniter Christianis fat scio, persuasero, nihil à Christiana charitate abesse longius, quàm otiosè spectare populatum quem agri, depeculatum quem templa, labem, quam fœminæ, seruitutem quam vestri non dico vicini, sed fratres in Christo, & sorores à Turcica rabie iam subeunt, & indices magis videntur subituri. Possunt in aliena calamitate qui torpent, aut delicias verius agunt, videri homines (quòd humana illi specie induti sint) sed homines verè non sunt, nedum Christiani; qui humanitatem pietatemque (qua homo hominem naturæ instructione complecti debet) totam videntur exuisse. Quemadmodum Chirurghi, quod membrum in languido corpore acutentârunt, aut scalpello, si nullum aduertunt motum vel sensum, illud mox iudicant intabuisse, nec vllam melioris vitæ vim in se continere; sic in hoc Mystico Christianoque corpore, qui suorum vel fortunas auersas, vel labefactatam Remp. vel aliam calamitatē immissam neglectim, & sine quodam pietatis sensu intuentur, eos ego certè (si quid in politicis aut Christianis rebus video) iudicarem aut non membra, aut membra, quæ publicæ curæ & Christi parū in

*Torpen-
tes non
videntur
homines.*

te vel nihil omninò habeant: Nam Dei amor am-
 proximi ita perpetuò annexus est, & veluti impli-
 tus, vt Ioannes Apostolus neruosè collegerit, &
 super angustias fratris quem videt viscera misero-
 dia suæ clausurit, eum vera viuæque charitate Deum
 qui aspectu penitus oblitescit, vix ac ne vix quidem
 posse diligere. Ac ne quis contra hanc rationis na-
 turæ vim audeat vnquam vsurpare illud Caini, &
 vngari Germanique, id est, fratris sui custodem non
 esse, & sacrae literæ hanc vocem demnârunt impietatis,
 & Deus prius per Salomonem monuit; Erue enim
 qui dicuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum
 liberare ne cesses: & diserte tandem mandatum
 tanquam legem vnicuique posuit de proximo suo.
 Hæc quidem ipsa etsi in se sint, & luce tam clara, &
 momento tam firma, vt vos, Equites fortissimi, cum
 publici boni curam spontè cunctes, tum insigni pietatis
 studio semper inflammatos ad vicinos vindicando
 asseruandosq; alia ratione nec velim, nec debeam
 vehementius hortari; tamen Vngari regione vicini, &
 regione fratres, ita sunt faucibus pressi, ita momento
 vestigio temporis pressi, vt auribus oculisq; vestris
 sititatem suam, labem suam, seruitutem suam, reliquam
 miseriam suam iterum subijciant, rogentq; patiamini
 vos contra communem hostem videri, potius Sagatos
 in campis, quam Togatos in conuentibus, & qui
 eorum calamitate sempet hætenus fuistis, etiam nunc
 ostendatis vos verè Polonos. Etsi Equitis nomen
 quod in Polonos insignitè semper conuenit; summa
 in se gloriam habeat; tamen cum Polonus Equitis po-
 tius nomen, quàm nomen hoc ornet Polonum, aliam
 vocem quemadmodum non possum inuenire glorio-
 siorem: sic ad studia vestra in vicinos elicienda nõ de-
 bui adhibere vehementiorè. Nam si Polonos vos ostē-
 deritis, vicistis vim, asseruastis innocentiam, id est, ipsi
 vos cumulastis gloria quam vix capiat tota terra, at

*Alter al-
 teri quan-
 tum ob-
 ligatus.*

*Vngari
 auxilium
 videntur
 implora-
 re.*

æterna illa regio, quæ quot stellis, tot Dei ocellis fulget, sola potest remunerare. Neque vos voco ad bellum tanquam prædam, aut solos contra totam Asiæ Africaq; vim: sed hortor vt vires vestras cum viribus fratrum vestrorum iungatis contra communem hostem illum, qui horum vires labefactat, & vestras non minus certe quam aperte frangit. Ecce tempus acceptabile (in re Christi sic loquar) ecce dies salutis. Nam si positis simultatibus & contentiunculis, quæ à Satana dispersæ & disseminatæ, vos à vobis aliisq; Christianorum partibus diuellunt, arma socia iunxeritis, & vinculo foederis, aut, vt Christianius dicam, charitatis colligati vniuersi Turciæ Tyrannidis neruum elidere conemini, ausim vobis promittere victoriam, quæ vestrum vestraq; gentis nomen Romanorum gloria & nomine facile æquauerit. Quippe foederi, aut qua formam charitatis habet societati cuiusque vis à cælo tanta & tam copiosa inserta est, vt duobus aut tribus promiserit Deus simul petentibus, large omnia: quid facientibus simul? alter fulcietur ab altero: quid simul pugnantibus? si hostis præualuerit contra vnum, duo resistent ei, & vnus persequetur mille, & duo fugabunt decem millia. Si quis forte dicat pacis vos pactis impediri, quo minus in societatem belli cum Christianis contra Turcam veniatis, prope est vt exclamem: O vilitatem dignam seruire; quid? hisce auribus, hisce iudiciis vox ista inculcabitur, pax: pax ista infidiosa, pax peior bello, pax cum Turca. Oblatam dices non prensatam; sed quo est velata pulchrius, eo plus illa aleæ habebit & periculi. Turcicus Tyrannus, Serenissime Rex, in eodem Philippi Macedonis ludo videtur doctus ad malitiam, & ex hac malitia potius quam militiæ disciplina effloruisse tandem ad hanc potentiam, quam Asia & Africa, & Europæ pars pene bona vix ac ne vix terminauit. Nam quemadmodum Philippus pacis nomine Amphipolitas implicatos tenet, quo ad

Vnitis viribus pugnare, est superare.

Deus duobus simul petentibus, large promisit omnia.

Turciæ Tyrannus ad malitiam edoctus & dolum.

Pidnam occupavit & Poridæam; Pheranos completur beneficiis, quo ad Pegasam & Magnesium subiugavit; Athenienses omni officio colit, quo ad Olynthum redegerit in potestatem, & tandem totam Græciam sui iuris fecerit: sic Turca Christianos unum superlium irretit potius laqueo foederis & pacis, quam brachio & belli vi mittit sub iugum. Trapezuntinum nexuit foedere, quid inde? Constantinopolis sola facta est præda; Mathelinos iunxit sibi pacis nomine, quid inde? seiuncti ab hac communione Negropontum eius mox bellum subierunt & seruitutem, Theffalonia, Scodra, Dirrha, Chio, sunt præda non Turcici belli, sed foederis. Naupactus, Cyprus, Valachia sunt spolia Turcicæ non virtutis, sed perfidiæ. In re tristissimam non debeo esse minutus. Meministis vel certe legistis omnes Europæ non toti unquam iustum bellum indetum, sed pacis simulatione partem præceptam partem quo ad Imperium suum Tyrannus ad regni vestri Pomoeria usque protulerit & propagavit. Et certe in ha Pomœria qui non audet irrumperere, sperat tamen pacis quodam pede aliquando irrepere. Ungaros tantum iam lacepsit; vobis, Poloni Equites, amicus scilicet foederatus, at quos Ungaros? pacis religione sancta Tyranno, antequam vos, iam devinctos: si Ungari universi subierint iugum, pax, heu pax, fatalis ad exitum proxime iugulans Poloniam. Videor videtur Turcici Tyranni imaginem & expressionem veram pulchre effictam in Golia, qui tanta vastitate corporis quanta satis erat sancti exercitus impressioni sustentanda, tamen non totum exercitum totis suis suorum viribus aggreditur recte, sed singulos scilicet minorum futuros virium, ac ne duos quidem simul ad singulare prolicit certamen: sic Turca, tam monstrum capitis, quam Golia corporis, Christianos non omnes belli societate coniunctos fortiter petit, sed singulos separatim, hunc mulcet dum illum perdit.

*Turcicus
Tyrannus
Golia
collatus.*

Vestra

Vestræ, Equites, partes ut nunc sunt mulceri, post Vngaros erunt pati, & nisi animum aduerteritis, perdi. Quod quidam ominati sunt, Turcam sibi munire per Austriam & Carinthiam ad Italiam aditum, etsi aliquid habet probabilitatis, id tamen ego putarem potius delirium quam militiae mysterium. Insignis enim stupor esset & præter morem Turcicum, hoste post se relicto aggredi Italiam, & Italiam septem hinc à mari, inde à monte, undique à milite; Cum Poloniam in qua momentum Italici belli futurum illi videtur, incurssioni, flammæ, cineri patentem post finitimas regiones devictas, solum puncto possit in potestatem redigere.

*Turcarum
in capiendis
regnis
dolum.*

In Trapezuntino Imperio occupando quod fecit Tyrannus, ut vicinas partes potestatis suæ flamma omnes inuolueret, ac Trapezuntinam extremam tantum lambere, quo ad mediam & solam ceperit; sic vicinam undique vestram dum scæda depopulatione funestat, vestram regionem tanquam fimbriam Tyrannidis suæ flamma extremam tantum lambit; at si hoc anno Vngaria & Transsylvania, altero Silesia & Moravia augeant Tyranno Imperium; vos Equites, medij, & vestra culpa soli ut novi Trapezuntini capti estis (horresco referens) capti & perpetuæ servitutis nexu adstricti, imo mactati potius & trucidati uniuersi. Nam Libertas, Immunitas, Respubl. Nobilitas, nomina Tyranno sunt tam odiosa, ut qui hæc insignia præ se tulerint, eorum ne vestigium quidem in suo Imperio leuiter impressum esse sinat. Quare quod Demosthenes

*Demosthenes Atheniensibus
suasit bellum.*

in bello Philippi contra Olynthios hortatur suos Athenienses, bellum gerant cum Philippo Olynthi, nisi maluerint Philippum Athenis: Id ego vos moneo, Poloni, ut contra communem hostem, tunc in eius Vngaria, vel alia

ditione alibi distringatis, nisi fidas & lanceas non multo post domi vestræ pleno pectore velit haurire. Sigismundus II. in tali forte occasione erat tergiuersator; & quod tergiuersator erat, famam apud posteros consecutus

secutus

secutus est, quam à tuo, Sigismunde Rex, cognominis
 quod tua causa cupimus, sincere deprecamur; quam
 quam talis certe occasio nunquam erat. Nam neque
 Polonia vnquam fuit tam prope pressa, nec ad communi-
 nem flammam extinguendam auxiliij, consilijq; aqua
 vniuersi tam serio attulerunt; nunc verò non Vngari
 solum & Germania pro se supplices vestris genibus
 aduoluuntur, sed Principes Itali præferunt spem, &
 Cæsar opem operamq; prolixè pollicetur. Quod si
 optastis Equites, vt alij fœderis societate inter se
 constricti vobiscum castra contra Turcam metentur,
 id iam è caelo oblatum non debetis respuere, ne si
 gati non afferatis auxilium, pressi forte auxilium
 gantes non inueniatis. Deus æquissime, vt omnia, &
 detur illam legem tulisse, vt qui obturat aures suas
 mori proximi sui, clamans non audiatur, & mentem
 ram qua mensus est malam illam, sed plenam è caelo
 recipiat. Pontificis vero mentem in fœdere sanciente
 sinceram, fuciq; expertem, cum factum illud ostendit
 quod superiori ætate Franciscum Aldobrandinum
 Nepotem suum, virum multi vsus, summi iudicij,
 pacis belliq; artibus æquipollentem, ad sociale bellum
 contra Turcas pignori Christiano orbi pro se militum
 tum illustrissimus & reuerendissimus sancti Sæuasti
 Episcopus, (cuius non solum nomen illustrat ser-
 Marchionum altissime repetita, sed prudentiam etiam
 & eloquentiam nobilitarunt tot legationes, quot per
 Christiani orbis partes) tam fuse distincteq; vobis
 pius explicauit, vt frustra hic videar aliquid adner-
 rus, nisi Pontifex has mihi partes exposuisset, vt ad
 crum hoc bellum vobis promitterem ab eius non solum
 lum amore consilium, sed ab ærario etiam tenuibus
 quidem illo pene attrito id quicquid potest æque po-
 stulari. Accingimi ergo (Machabæi verbis, tot Macha-
 bæos, quot adestis Equites recte videor affari) accingimini
 ad prælium Domini, & socia contra gentes armis
 capit

*Passum è
 caelo obla-
 tum non
 respuendū*

*Ad bellū
 adhorta-
 tio à faci-
 li & ad-
 iunctis.*

OR. IX. DE FOED. PACISC. CONT. TVRC. 77

capite: Estis pauci? facile est Deo multos concludere in manu paucorum: Estis imbecilles? quo tandem modo? Pugnabitis contra pecudem Asianam, Deo rebellem & contumacem; ac de cœlo erit fortitudo vestra. Quanquam Poloni non timetis mortem: & satius certe est mori in bello (vt inquit ille miles Martyr) quam mala vestræ gentis videre. Timetis potius insidias? Cæsar stat à vobis, Pontifex à vobis, Deus à vobis. Sed euolue mihi mentem hic plane tuam, excute intelligentiam; fœdusne putas recipiendum quod Turcas contemnendum quod offert Christianus? Regnum, inquis, nostrum, libertatem nostram. O insaniam, & insaniam! Regnum tuum potes credere firmiter, libertatem securiorem sub Turcico capite, quam sub Christiano fœdere? sit quidem illud firmiter, hæc securior sub illo, quam sub isto; Audest tamen profiteri, malle te regnum sine cœlo, quam cœlum sine regno? malle te libertatem sine Christo, quam Christum sine libertate? Est quoddam, Equites, hominum genus, seiplos intemperanter amantium, & voluptati cupiditatiq; magis quam Deo seruentium, qui speciem pietatis præferunt, vim tamen pietatis & virtutum infringunt & elidunt vniuersa. Apostolus hic depingit, vt videar videre illos, quos nostra hodie ætas nouo non tam verbo, quam sensu appellat politicos. Speciose quidem semper hi loquuntur, Euangelium, Gratiam, Christum, tamen quasi Dei prouidentia penitus sublata, Politicam quandam prudentiam (sic placet istis Turcicum, vel potius Athëismum suum antiquo nominis velo ostendere) sui suarumq; actionum omnium regulam & amissim faciunt. Hanc siue artem siue caliditatem mirarer diuum Iacobum dignatum fuisse nomine prudentiæ, nisi prudentiam istam mox ad maiorem infamiam dixisset esse, & terrenam, quod Deum fateatur ore, factis neget; & animalem, quod sibi sapiat, non publicæ rei; ac tandem diabolicam, quod omnia

Quoddam
hominum
genus per
uersum.

omnia metiatur sensu , ac nullam omnino in De
 diuinisq; spem figat & collocet. Verum semper fit,
 suo hi se implicent laqueo , & in fundo diuinæ pro
 dentia, quem prudentia cuiusdam arte conantur de
 clinare, omnino pereant. At tutius, dicet aliquis, esse
 qui neutram partem. Quid? Polonus sequetur potius
 quod tutum quam gloriosum? quanquam in Polonia
 sit ille hebes & plane plumbeus, qui cupiat esse neuter
 cum & Cæsar, qui Ducum primus & pene solus, æque
 lingua valebat & manu, hanc vocem damnarit stulticia,
 & vsus probarit, qui neutri fuerant, & inter duas
 partes penduli, hos semper in vtriusque partis exitu
 incurrisse & insidias. Tandem, vt breui sed sacro ver
 bo dicam, qui neutram partem putat tutam partem,
 certe stultus est, quem irridet atque adeo pungit sa
 ctus Iob illo dicto: Timet pruinam, & irruet super
 eum nix. Quid si, Equites Poloni, nec Turcica fratrum
 nec vicinorum lachrymæ, nec vestrum periculum, nec
 Dei timor & honor, nec alia vlla ratio potest vos im
 pellere vt coniunctis armis Europæ labanti succur
 tis; erit certe, pene dixeram: verum amor non finit
 vt genti vestræ male ominer; potius pietas erga Polonos
 mea faciet, vt vos qui non politice, sed cum patribus
 vestris Christiane sapitis, orare & obtestari velim,
 ne vlla vestra culpa finatis verti Christi templum
 in stabula, altaria in præsepia, monasteria in gynæ
 cea & foedæ libidinis propudia, omnia sacra in profana
 omnia, & tandem Christum ipsum prodi Mæ
 hometi. Hic lenti si fitis & pigri (alia taceo) illud
 tandem erit, & fortasse hodie erit, aut certe non ita
 longo post interuallo erit, vt requiratur sanguis fra
 trum vestrorum à manibus vestris, eo quod angustias
 animæ eorum videntes non comparsi estis: eripere potu
 istis, & contempsistis: & Turcæ pro tribunali illo
 extremo & horrifico consurgent; vt vos faciant reos
 impietatis, quod ipsi pro impia sua superstitione amplif

plificanda, tam serio fecerunt, id vos pro fide, quæ ex medio cœlo fluxit, non dico amplificanda, sed defendenda, vindicandaq; contra inimicos crucis Christi, nec sponte, nec rogati fecistis. *Dixi.*

ROBERTI TURNERI

ORATIO CVL. X. ANTE

Disputationem Theologicam.

Locus iste non fert orationem fusam de laude Theologiæ: nam cum hic locus sit rerum, sit dignitatis, sit maiestatis cuiusdam, stulte aperiretur tricis nugisq; verborum. Solent quidam præfati multa de laude Theologiæ, quæ eos ornat, sed solent peruerse, non ad normam: res enim Theologiæ cum habeant nomen speciemq; virginis, si comantur, poliantur, externæq; orationis veste ornentur, vix est, ut cum quendam meretricium (qui à Theologiæ vultu debet longissime abesse) non præ se ferant. Quare de Theologiæ laudibus nihil dicam, imo omnia dicam, si id verbulo monuero, Theologiæ laudem summam esse, non velle laudari: eamq; tanquam virginem, tum summe ornari, cum nihil ornetur. Sed ludo, vobisq; & mihi præcerpo tempus: in re ergo ipsa ponamus vestigium. *Dixi.*

Non virginum sed meretriciū est sese comare.

ROBERTI TURNERI

ORATIO XI. ANTE DISPUTATIONEM

Philosophicam, De Scientia.

Nihil est in rebus extra controuersiam, quas res natura defixit in oculis, vsus in animis omnium confir-